



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Francisci Arias, Societatis Iesv Theologi, Tractatus
Tres spirituales**

Arias, Francisco

Coloniae, 1615

15. De mortificando visu, in spectandis ludis, tripudijs, & alijs rebus vanis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48767](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48767)

quitur autem de loculis mentis primū, deinde de corporis, quatenus menti obsequuntur, vtrique enim secundum vias, hoc est, secundum Domini voluntatem dirigi debent. Et in libro Numerorum, Deus mandauit in fimbrijs vestium poni vittas hyainthinas. & causam eius addit, *vt recordentur omnium mandatorum Domini, nec sequantur cogitationes suas, & oculos per res varias fornicantes.* Ac in Ecclesiastico commendat custodiam aurium & linguæ, dicens: *Sepi aures tuas spiritibus, & linguam nequam noli audire, & ori tuo facito ostia, & seras auribus tuis.* His similibusque sententijs iaculat Deus nobis in lege sua mortificationem sensuum. Vt verò prædicè melius eam exerceamus, de cuiusque sensus inordinatione, mortificationeque porro differemus.

Num. 19.

Ecc. 22.

CAPVT XV.

De mortificando visu, maxime in spectandis ludis, tripudijs & alijs rebus ad malum prouocantibus.

Natura nostra per peccatum vitiata in omnibus rebus suā occupatur voluptatē per ministe-

ri-

rium sensuum, maximè autem oculorum, tum quia promptius illis obiecta spectabilia se offerunt, tum quia minore labore atque infamia vsurpantur. Si in spectandis rebus non aliud queritur quàm oculorum passus, noxa non caret animus. Oblectationis, inquit beatus Basilius, appetitus è carne velut ex fonte manat, per omnes sensus, tanquam per quinque flumina diffunditur, oculis verò, velut manibus incorporeis omnia quæ vult attingit, etiam ea quæ corporeis manibus non tractantur; nam conspectis eorum figuris & formis, cordi mox eorum ~~speciem~~ ^{infi-}git, & corpus ad voluptatem inflammat, atque ita omnes sensus actiones suas dirigunt ad eandem voluptatem, tanquam ad suam reginam, contaminantes animam, & carnalibus desiderijs obnoxiam facientes. Vnde concludit sanctus ille doctor, seruum Dei, qui veræ virtuti operam dare contendit, debere inuigilare sedulò custodiendis sensuum fenestris, nè liberè nimium vagentur, animamque in vitiorum voraginem præcipitem agant. Ac sigillatim, oculos non debere conuerti quocumque collibuerit, sed eò tantum quò necessitas aut vtilitas spiritualis impel-

*Lib. de vera
v. g.*

DE MORTIF. VOLVNT. 419

let. sic enim animus semper, inquit, promptus erit ad contemplandam rerum spiritualium pulchritudinem. Qua oratione sanctus Basilius non obscure insinuat, quæ sit inordinatio in aspectu, quodque eius remedium. Sed iam magis particularia subiiciamus.

Ex hoc inordinato appetitu captandi voluptatem ex vago oculorum in quasuis res coniectu, nascitur cura desideriumque cernendi spectacula iucunda, vt ludos, saltus, laruas, comedias, taurorum certamina, & alia id genus vana & noxia exercitia. Hoc desiderium etiam atque etiam coercendum est, nam vt in huiusmodi spectaculis, nihil nisi sensuum oblectamentum queritur, & procluis eorum occasione in vitia lapsus est, magnum animæ conciliant damnum, deducendo eam à rerum diuinarum consideratione, & multis inanibus cogitationibus superbia, iræ, gulæ, odij, inuidiæ, libidinis, detractionum, eam complendo; à multis quoque operibus bonis abstrahendo, & tempus pretiosum perperam consumendo. Ac esto, nullum aliud incommodum inde sequatur, quàm quod sua præsentia approbare videantur huiusmodi nugæ, id magnum satis incom-

mo-

modum videri debet. Vnde ait sanctus
Lib. de spect. Cyprianus. Etsi spectacula, non sint si-
 milia gentilitijs, quæ in honorem fal-
 sorum deorum instituebantur, tamen
 Christianis esse vitanda. Cum enim na-
 tura hominis corrupta per se ad malum
 prona sit, quid faciet si oculis obijciantur
 quæ ad malum prouocent? qui per
 se ad lapsum procliuus est, quanto po-
 tius labetur inter tantas occasiones? Et
In Psal. 119. sanctus Augustinus, inter peccata & oc-
 casiones eorum numerat spectaculorum
 frequentationem. Nec sancti solum, ve-
 rum etiam gentilium sapientum non-
 nulli agnouerunt, quanta bonorum mo-
 rum iactura sit in aspectu rerum vanarum
 & futilium. Romæ, cum Cornelius Na-
 mica theatrum ad exercendos ludos exci-
 tasset, Senatores improbârunt, & eueri-
 mandârunt, existimantes res vanissi-
 mas indignas esse perpetuo ædificio. Id
 factum est, cum morum apud Roma-
 nos inuiolata constaret integritas: at
 postquam violari ea cœpit, multa am-
 phitheatra extructa sunt. De Catone
Volat. ibid. certè apud Ethnicos quondam pruden-
 tissimo legimus eum detestatum fuisse
 theatra, nec vnquam voluisse ludis in-
 teresse: arbitratur enim homine pru-
 denti indignum esse, præsentia sua lu-
 di-

dera spectacula approbare. Cicero quoque testatur in persona Scipionis Romanos iudicij laude claros pro re vili & abiecta habuisse comcediarum actiones, ipsosque actores decreto Censorio declaratos infames.

Quantò magis Christiani homines, quos Christus monuit, de omni verbo otioso aliquando in die iudicij reddendam rationem, ac omnes peccandi occasiones, etiamsi oculis, manibusque & pedibus nobis essent cariores, summa vigilantia abscindendas, cauere debent huiusmodi spectacula, in quibus & multi temporis fit iactura, & plurima oculis vsurpantur vana & lasciuia, bonisque moribus aduersa, vt quotidiana docet experientia. Nam vt quidam Poeta loquitur: *Segnius irritant animum dimissa per aures, Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus.* Et cum beatus Paulus dicat, corrumpere bonos mores colloquia praua, quæ auditu percipiuntur; quantò magis inquinabunt animam foeda spectacula quæ in oculos incurant!

Accidit alius horum tēporum abusus, quod foeminæ quoque ad comcedias adhibeantur. Scriptura sacra non semel monet mulieris speciosæ concupiscentiam vitare.

Matth. 12.

Matth. 5.

Horat. de arte poet.

I. Cor. 13.

Eccles. 9.

Prou. 5.

spe-

spectum occidere corda multorum. Ire-
 mones eius placidos esse instar ignis ad
 foeditatem omnem inflammantis, no-
 uissima autem illius esse amara quasi
 absynthium, & acuta quasi gladium de-
 cipitem, hoc est, qui animam punit
 morte culpæ & pœnæ æternæ. Unde
 scribit sanctus Augustinus, Basiliscus
 afflatus tolerabiliorem esse cantu fœ-
 minæ: eò quod Basiliscus suo aspectu
 corpus, cantus verò lasciuæ fœminæ
 animam perimat. Jam si accedat gestus
 & motus corporis nil aliud spirans
 quàm leuitatem & turpitudinem, quid
 fiet in imbecillibus mentibus audito-
 rum? id nimirum, quod euenit Holo-
 ferni conijcanti oculos in Iudith, vrâ
 pulchritudine, sicut loquitur Scriptura,
captiua facta sit eius anima, morteque tem-
 porali & æterna percussus. Non per-
 mittit Apostolus Paulus mulieri que-
 tumuis sapientia magna prædicare fun-
 ctionem publicè alios docendi: cuius
 rationem reddit beatus Anselmus,
 quòd sermo eius prouocet auditorem
 ad amorem parum honestum. Quòd
 verum est, quid efficiet mulier compo-
 vestita, & in publico teatro verbis fa-
 ctisque gerens personam legem & inde
 coram? non dubium, quin dæmon per-
 eam

*Aug. c. ser-
 gul. cleris.*

Judith 15.

1. Cor. 12.

eam, tanquam per aptissimum suorum
maleficiorum instrumentum plurimū
mali perfecturus sit, vt quotidianis
constat exemplis.

Cæterum hic animaduertendum
est, etiamsi laudabile sit quædam reli-
giosa dramata, à quibus omnes leues
narrationes actionesve absunt, spectan-
da proponere, tamen si ab eiusmodi
actoribus exhibeantur, qui alioquin
vana & lasciuia miscere consueuerunt,
non conuenire illa à Dei seruis frequen-
tari. Hoc enim sathanæ artificium est,
romædijs pia quædam & sancta in sere-
re, vt hoc prætextu etiam pij & religiosi
homines ad eas audiendas alliciantur.
Neque idonea excusatio est eorum, qui
promiscuè omnibus interesse volunt
spectaculis, quod Principes & Magi-
stratus illa permittant: multa enim
mala licitè ab illis permitti queunt, vt
caueantur deteriora, vel certe permit-
tuntur, quia non satis exploratum ha-
bent, quanta mala inde consequantur,
quæ si perindè scirent, ac cognoscunt
multi qui in conscientia foro quotidie
versantur, proculdubiò non facile per-
missuri essent.

Sed & choreas & saltationes multi *C. Rhodigit,*
gentilium sapientioribus tanquam *l. 5. c. 3.*

T

rem

Alex. ab Alex. l. 2. c. 25. rem vanam & inutilem condemnarunt, ut Plato, qui à Rege Siculo, quem forte inuiserat, ad choreas cum alijs ducendas inuitatus, respondit, Mulierum esse, non virorum. Et Imperatores Tiberius ac Domitianus, licet vere fidei expertes, illas lege vetuerunt, asserentes, hominibus honestis esse indignas. Idem ratio naturalis dicit, ac multo magis Christi religio, quippe quæ tantam exigit ab homine fideli modestam honestatem, vanitatumque & leuitatis despicientiam, ut externo habitu & gestu corporis ad glorificandum Patrem cœlestem prouocare teneatur. Vnde Psalmista: *Beatus, inquit, vir, cuius est nomen Domini spes eius, & non respexit in vanitates & insanias falsas.*

Psal. 39.

Lib. de vera virg.

Ser. de abdic.

Alia inordinatio visus nostri est, facile oculos conijcere in res spectatissimas, non quod necessitas vel utilitas aliqua id postulet, sed quia sola voluptas inuitet, quod vitium notauit alicubi beatus Basiliius. Quod tunc maxime mortificandum est, quando exterorum rerum aspectu oriuntur prauæ cogitationes, ut sit ex aspectu venustarum mulierum, aut nudarum iconum. Vnde magna exaggeratione idem auctor monet, non esse cohibendos modo oculos

à foeminarum, sed etiam speciosorum adolescentum intuitu: rationemq; huius moniti subijcit, hanc nempe quòd experientia quotidiana constet multa hactenus mala in mundo ex vago & libero in quosuis oculorum coniectu esse secuta; atque callidum humani generis hostem hoc medio quamplurimos in fraudem induxisse, ac in tartareas flammis præcipitasse; nec eos solum, qui vltro flagitijs, & mundi huius illecebris immerfi erant, sed etiam optimos, qui longè à vitiorum castris recesserant. Vnde concludit seruo Dei nõ debere intercedere consuetudinem eũ talibus personis agendi, & si quando iustis de causis subterfugere nequeat, oculos non in illos, sed in terram defigendos. Quæ doctrina sic prorsus rationi consentanea est, vt etiam E hnici iudicãrunt idem faciendum homini pudico & casto. Valerius siquidem Maximus, Pericles, inquit, Atheniensium princeps, cũ tragediarum Scriptorem in P. etu a collegam haberet, ac is publico offi. io vnà districtus pueri ingenii prætereuntes formam impensioribus verbis laudasset, intemperantiam eius increpitans dixit Prætoris non solũ manus à pecuniæ lucro, sed etiã oculos à libidinoso aspectu cõimentes esse debere. Hanc do-

Lib. 4. c. 5.

Arinam ab Ethnicis agnitam, sed non seruata, sancti Dei in Ecclesia Christi, gratia diuina adiuti, & agnouerunt & seruauerunt.

*Guido Cart.
in eius vita.*

B. Hugo Episcopus Gratianopolitanus, licet esset castissimus, & ab omnibus tentationibus carnis ita immunis, vt sensu omni videretur destitutus, tamen quoties iam existens episcopus, vel in Confessione, vel extra illam necesse habuit alloqui foeminas, nūquam per totos quinquaginta annos oculos in earum vultum coniecit: asseruitque id necessariò faciendum, si mentem velimus ab impuris cogitationibus liberam conseruari.

Sar. in Mar.

S. Thomas quoque Aquinas quantumuis dono castitatis diuinitus ornatus, nec tentationibus vllis obnoxius, & cui angeli sponponderant nūquam eum castitatis iacturam facturum, tamen summum studium adhibuit, ne in mulieres, aliasve res noxias oculos conijceret: nec secus quàm serpentes & scorpiones eas declinabat.

Sanctus Franciscus, qui continentia mortificatione carnem prorsus edomuerat, tam sedulus fuit in cauendis colloquijs non necessarijs cum muliebri sexu, & refrenando earum aspectu,

vt

vt ne vnus quidem ex vultu notitiam haberet, ipseque omnes commonefacere solitus erat, nisi cura & vigilantia illa ab omnibus vsurpetur, fieri non posse, quin detrimentum aliquod ab earum conuersatione capiatur, sicut ignem nemo ingredi possit, quin comburatur. Atque hoc studium omnium Sanctorum commune fuit, à noxijs rebus oculos auertere; probè enim nôrant, quàm ingens damnum incurrerent, quotquot iacturam facerent ihesauri gratiæ & castitatis, dein quantæ fraudes, doli & stratagemata in hoc genere à dæmone fingerentur, quantæque hõminis in tentationibus carnis superandis imbecillitas & fragilitas: contra verò, quàm insigne præsidium à castitate nobis esset ad omnes alias virtutes conseruandas & retinendas.

CAPVT XVI.

De mortificando affectu videndarum rerum curiosarum, ac imaginum inutilium, aliarumque rerum similium

Veræ virtutis studioso non est mortificare videndi facultatem in contuendis rebus cum periculo amittendæ gratiæ diuinæ coniun-

T 3 ctis,